Quodlibetaria Quaestio agitanda In Scholis Medicorum die 23a nouembris M.

Joanne Beauchesne Moderatore.

Sitne diuerso tempore Principum partium Conformatio?

Prouida natura in foemina vero frigidiore et humidiore, licet rerum omnium partium imbecillimum, tamen nostrae procreationi velut hortum foecundissimum machinata est: qui unica tunica e fibrarum genere texta constans ad propagationem generis humani vi propria semen, saepe utriusque, foecundum, ex singulis partibus minimo deciduum in solis testiculis corde praestantioribus factum, consentanea quadam commodatione commixtum: alioqui prorsus inutile futurum in quo simul a menstrua praesertim purgatione recondi: ac cum [illegible] in eo calorem natiuum omnium actionum opificem non aliunde in semine, nec in alio quouis animante quam a temperamento repetendum, ad omnes partes corporis humani omnium temperatissimi varie in varios usus pro necessitate cuiusque, haud simul conficiendas certo naturae ordine extimulat.

Etenim natiuus calor vna cum spiritu (cui perpetuo insidens suas vires exerit) per totam seminis molem nihil otiosum, nec temere molitur, primum quidem inuassando homogenea in vnum cogit, heterogenea velut in suam familiam segregat: omnes partes corio multis venarum et arteriarum surculis intertexto et crustula quadam obducit, deinde tum demum et puriore seminis concreti portione in medium vtili concedente, ordinatum delineare incipit; atque ministrante sanguine, et frigido spiritu statim commeante tota substantia familiari, et arterialis ad iecur per vmbilicales venas importato nutriri, augeri tandemque absolui.

Ex omnibus autem tres principes (praeter vmbilicum principium et veluti stamen omnium) primae oriuntur situ, substantia, facultate, et instrumentis distinctae: quae vt simul ad agendum statim intro prouocentur, nulla postulat necessitas; nullus usus, siquidem hepar venis sanguinis venarum et facultatis naturalis singulis corporis partibus vna cum vitali semper assistentis fonsque futurum, primum omnium nascitur, et aqua largiore sufficiens genitura, quas noro plantas sola facultate naturali nutritioni duntaxat addicta regitur.

Cum vero ipsa genitura in animal nobilioribus ditandum facultatibus destinetur, spiritum vitalem ex naturali in corde, et animalem ex vitali in cerebro elaborandum requirat, naturae ab infimo incipientis ordine ad integram animalis constitutionem sensim progressae cor et cerebrum, duo alia veluti principia, nulli animalium generi denegata fabricatur. Cor alterum est arteriarum quas simul cum corde dilatatas et contractas calorem naturalem ad agendum excitans tutantur, vitamque in vniuersum corpus diffundunt. alterum est neruorum qui et similares et liquida substantia frigoris vi concreta ad motum et sensum comparati omnibus ex attributione functionibus sunt praestantissimi: sic postremo eadem, idque initio imbecillimi obtemperare (in maribus quidem tertio mense, in foeminis vero quarto) incipiunt.

Vis itaque genitrix vbi tres principes partes ex vtroque principio calido et humido sic conflauerit ad trigesimum diem si mas sit futurus, si vero foemina ad secundum et quadragesimum attrahit distinctas, in reliquis partibus eodem modo fabricandis occupatur: eas enim productis et discissis ex iecore venis, ex corde arteriis, ex cerebro neruis partes aggenerat, aliasque aliis probe sua cuique necessaria officia, [illegible] absolutis explicat, superiores quidem prius inferioribus, interiores externis, spermaticas sanguineis: quibus in utero grandioribus factis, et triplicem similitudinem, vnam generis et substantiae, alteram formae ex praeualenti seminis portione: tertiam alterutrius parentis ex vtrorumque principiorum temperatura respondentibus, infans decimo mense, aliquando septimo, alias nunquam vitalis in lucem prodit.

Ergo sit diuerso tempore Principum partium Conformatio.

Asserebat Lutetiae M. Edmundus Perdrisot Lingonensis. Anno. M.D.Lxxiiij

S. D. Disput.

M. Petrus de la mer. M. Bonauentura Grangier M. Joannes de Verneuil

M. Claudius Rebours. M. Joannes Martin M. Vincentius Mustel.

M Bartholomaeus Perdulcis. M. Andreas du Breuil M. Hieronymus Varades med. R.